



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Ivramentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

hoc secundum se esse peccatum mortale, non est temerarium iudiciū personæ, idco nec mortale: si autem iudicat dicentem tale verbū peccasse mortale, tunc est iudicium personæ, & temerarium, & peccatum mortale: quia non habet sufficientem rationem ad hoc iudicandum. Potuit enim profiterens verbum illud turpe, profitei vel ex leuitate, vel ex surreptione animi, etiam sine peccato mortali. ex Caieta. ibi, in summa. Temerarium iudicium est malum, quia sic iudicans officium sibi non competens usurpat: quia non est dignus iudicare alterum, quia est ignorans, & quia hoc prohibetur. Matth. c. 7.

IURARE.

IURARE est Deum in testem vocare, secundum Augustinū in quodam sermone de periurio, & est actus latic, quo Deum honoramus: secundum Hieronymū super Mattheum, quod quidam Canonistę ita definiūt: Iuramentū est affirmatio, vel negatio de aliquo licito, probabili, & honesto facto vel fiendo, factę rei attestatiōe firmata: quod fit siue ore, siue facto, vt cum tanguntur literę, etiam siue verbo, vel aliquid huiusmodi. Et licet quis iuret per creaturas, principaliter tamen iuratur per Deum, in quantum diuina virtus in illis est manifesta. Et cum iuratur per fidem, per sanctos, per euangelium, intelligitur is, cuius veritas continetur in fide, in euangelio, & quam sancti tenuerunt. Thomas secunda secundę, quęstione 89. a. 1. & 3. sentent. d. 39. a. 1. Et dicitur iuramentum, quasi pro iure sit introductum.

IURAMENTVM aliquando fit per execrationem, vt dicendo: Si non est verum, Deus me non adiuret, vel simile: vel, si non est sic, veniat mihi, vel filijs meis tale, vel tale malum: vel fit per simplicem attestatiōem, vt dicendo, per Deum sic est, &c. Et est assertoriū iuramentum, & promissorium: secundum Thom. supra. Pan. ca. & si Christus. de iure iuran.

IURAMENTVM secundum se est

iustum, licitum, & honestum: quia introductum est ex fide, qua homines credunt Deum esse infallibilem. Ex fine autem introductum est ad iustificandum homines, & finiendum contouersias: vt dicitur Hebr. 6. Sed male videnti cedit in malum, cum non ex necessitate, & debita cautela quis iurat: vt pro leui causa, & assuescit cum periculo periurij: videtur enim tunc paucam reuerentiam Deo habere.

Fuit & alia causa permissiua, scilicet ad vitandam idololatriam. capitulo, considera. vigesimo secundo. quęst. 7. Est etiam meritorium, si cum reuerentia, & vtilitate iuste iuret, quum per hoc & sibi ipsi, & proximo subueniatur, nec sine necessitate est iurandum, vel vtilitate. capit. ita ergo. vigesimo secundo, quęst. prima. Et quando prohibetur iuramentum, intelligitur extra necessitatem rationabilem: vt in capitulo, & si Christus. de iure iurand. Hęc secundum mentem Ray. a quibus non discordat Sanctus Thomas.

IURARE per creaturas secundum se non licet: secundum Tho. supra. art. 6. sed per eas in ordine ad Deum, in quantum in eis diuina veritas manifestatur: & sic vocamus Deum in testimonium veritatis, quę in creaturis relucet. Prohibuit autem dominus iurare per cælum, & terram, &c. Matth. 5. c. ob hoc. ne eis diuina reuerentia exhiberetur: & propter hoc punitur clericus per creaturas iurans. 22. quęstio. 1. capit. clericum. & capit. sequen.

IURANS per membra inhonestę Dei, vel sanctorum, mortaliter peccat: vtpote Deum blasphemans, & iniurians. c. si quis per capillum. 22. q. 1. Si verò per membra honesta ex modo iurandi, non peccat mortaliter: posset tamen peccare ex contemptu, vel irreuerentia: vt cum suum iuramentum importaret blasphemiam, vel ex periurio, supra, Blasphemia §. 1.

DE forma iuramenti non oportet esse sollicitum: quoniam quomocumque quis iuret, & intendat iurare,

est iuramentum: & si falsò iurat, est periurus. Sed curandum est, quòd iuramentum comitentur veritas, iudiciù discretionis, ne leuiter, & sine necessitate rationabili iuret, & iustitia secundum Tho. supra. a. 3. & Hieronymus dicit, quòd si ista defuerint, erit periurium.

7 IURANS falsè, dubiè, vel cum intentione non seruandi iuramentum, vel iurans verum, credens tamen esse falsum, peccat mortaliter: quia nomè Dei vanè assumit. Iurare verò sine necessitate, vel causa, si adest veritas, & iustitia, non semper est mortale: secundum Tho. 3. sen. d. 39. q. 1. ar. vlti. q. 2. ad 3. quia non est directè contra illud præceptum: Non assumes nomen, & c. Posset tamen esse peccatum, vel propter assuefactionem, & periculum periurij, vel ex alia causa, quæ posset interuenire.

8 IURANS per idòla, vel falsos Deos, verè peccat: quantum ad formam iuramenti, sed non quantum ad assertionem, vel promissionem: & quando quis est paratus iurare per falsos Deos, vt Paganus, potest sine peccato recipi eius iuramentum: secundum Thom. supra: quia potest bene, & malè iurare, si vult, non potest ad hoc induci sine peccato: quia induceretur ad peccatum. Possumus enim vti peccato alterius, non autem inducere ad malum, sicut de eo, qui accipit ad vsuram à parato.

9 IURANS facere aliquod malum, quod est mortale: vt est furtum, vel simile, peccat mortaliter, siue intendat illud facere, siue non: quia si intendit facere, peccat mortaliter, si non intendit facere, falsè iurat contra id, quod habet in mente, & sic mortaliter peccat. Secus quando iurauit facere aliquod veniale, vel indifferens secundum se: quia non adest veritas de necessitate salutis, potest enim facere quod iurauit, sine mortali peccato, cum sit res venialis. Concord. Arch. Floren. post Ro. sed si iurauit facere tale veniale: vt dicere mendacium officiosum, non tamen intendebat facere, sed contrariù

intendebat facere, dico quòd mortaliter peccauit: quia intendebat animo periurare, & non potuit hoc facere sine contemptu. Conforme hoc doctrine Sancti Tho. secunda secundæ. q. 89. a. 7. ad 2.

10 PROMITTENS aliquod bonum possibile sibi, vel quod non est malum, sub iuramento, propter metum tenetur obseruare, si potest sine interitu propriæ salutis: sed habet remedium. Primò, vt petat absolutionem à iuramento, cap. si verò. de iur. iuran. Secundò, vt petat creditorem compelli ad relaxandum, vel restituendum. cap. de iur. iur. Tertio, vt denuntiet iudici ex correctione fraterna. Et si iurasset non denuntiare, illud iuramentum non fuit obligatorium. Si verò nõ potest obseruare sine peccato mortali, tenetur non obseruare illud, & mortaliter peccauit: quia fuit iuramentum de re mortali: nisi hoc impedimentum euenerit post iuramentum. Hunc casum tractat Sil. ver. iuramentum. c. quarto, quæstione septima, per totum.

11 SI quis iurauit comiti suo sic, videlicet: non dimittam te, nisi cænaueris mecum, vel aliter huiusmodi: si postmodum illum nolentem cenare secum dimittit, non propter hoc mortaliter peccat: quia non iurauit cum animo immutabili non dimittendi eum, sed intendebat, quantum in se erat, nolebat dimittere: non autè quando ille nullo modo voluisset remanere, nec taliter iurans efficitur propter hoc periurus: quia non facit contra intentionem implicitam: attamen talia iuramenta sunt indiffereta, nec carent aliquo peccato: idè sunt relinquenda: quæuis satis sint in vsu, qui tamen malus est.

12 IURANS dare aliquid, vel facere actum virtuosum, quantumcumque minimum, si non seruat potens, mortaliter peccat, quamuis res sit minima: vt dare quattrinum pauperi: quia nõ propter rem, sed propter iuramentum peccat, sicut qui vouit dicere Ave Maria, & non dicit: ita peccat, sicut qui

qui vult dicere Pfalteriū: quia uterque contra votum facit. Talis autem iurans taliter, & non seruans, ex multis potest à mortali excusari. Primò si cum conditione promissit, & non interuenit conditio. Secundò, si dat aliquod maius bonum, vel vtilius.

Tertio, si iurauit dare, vel facere aliquid, quod post non expedit. Quarto, quando non esset de bono, sed de re veniali: vt si ex vindicta mater iurat filium verberare. Quintò, quando hoc esset maioris boni impeditiuum. Sextò, si ex lapsu lingue iurauit, quasi nesciens, in huiusmodi nō tenetur seruare, sed excusari potest.

¹³ **Q V I** iurauit redire ad carcerem iniuriosum: secundum Tab. ver. iurare. §. decimo. ver. accusatio. §. decimo. & secundum Panormita. capit. si verò. de iur. in. columna quinta & Ioan. Andr. in additio. ad Specul. eod. titul. in rubrica, non tenetur redire: habet enim remedium iuris, vt relaxetur iuramentum. Caieta. secunda secundæ. quæst. 89. contrarium tenet, dicens, quod tenetur secundum cōscientiam quia velle pati iniustum, est sanctum, & potest obseruari sine interitu, & ideo iuramentum obligat. Tu dic, nisi dispensetur, supra, ver. accusatio. §. vigesimo, conclusum est, quod non tenetur: secundum Panormitan. vide.

Qui iurauit non fugere de carcere, non potest sine periculo fugere, etiam quod sit iniuriosus: quia per eandem rationem Caietan. ibi, potest obseruare, & c. nisi dispensetur, vt supra. Qui iurauit facere aliquid in certo termino, & tunc non potest, tenebitur alio tempore, quando poterit, nisi esset aliquid mali, ne sit fractor iuramenti. Si autem non potest seruare sine magna sui incommoditate, non debet propria auctoritate contravenire, sed petere relaxationem, vel à superiori, vel ab eo, cui promissit. Potest enim in tali casu relaxare: quia causa est rationabilis, & ita iuramenti fractor nō fiet.

¹⁴ **I V R A N S** facere aliquid boni, ad quod non tenetur; vt intrate religio-

nem, non tamen intendens per hoc se obligare ad seruandum, mortaliter peccauit: quia iurauit contra veritatem mentis, non tamen tenetur adimplere in conscientia; si non intendebat facere illud: secus si intendebat, aliter esset periurus. Semper enim iurans, & non intendens seruare, mortaliter agit.

¹⁵ **Q V I** iurauit nō mutare, vel nō facere aliquid bonum, ad quod non tenetur de necessitate, & tamē postea mutuat, etiam extra casum necessitatis, peccauit iurando, sed non mortaliter: quia sine mortali peccato poterat illud seruare, non seruando tamen non peccat mortaliter: quia hoc iuramentum erat maioris boni impeditiuum: vt supra. §. 12. dictum est. Pan. in c. si verò. de iur. iurand.

¹⁶ **I V R A N S** alicui, quod est in bona fide, & potest precipere iuramentum debet iurare secundum intentionem eius, cui iuratur; aliter est peccatum mortale. capitulo, ex literis. de spon. & capitul. quacunquē. vigesimo secundo. quæstione quinta. Si verò ambo sunt in dolo: quia exigens iuramentum, non exigit de re licita, quæ bona conscientia possit fieri, & sic iniuste exigit, & iurans etiam in dolo est: quia ostendit verbis iurare vnum, & iurat aliud, standum est intentioni iurantis: quia non tenetur iurare secundum intentionem recipientis iuramentum. Si verò iurans est in bona fide, & ille, cui præstatur iuramentum, in mala, standum est intentioni iurantis. Et sic intelligitur Innocentius in capitulo. veniens. de iure iurando. & Panormitanus in capitulo. cum contingat. eodem titulo, tertio notabili. & Sanctus Thomas secunda secundæ. quæstione octuagesima nona. articulo septimo, ad quartum. & tertio senten. distinct. trigesima nona quæstio. 1. artic. 3. quolib. 3. Si verò ambo sunt in bona fide, intelligendum est secundum intentionem iurantis in foro conscientie: quia ex intentione obligationem accipit iuramentum. In foro verò contentioso,

vbi ignoratur intentio, obligatur iurans: secundum quod verba communiter accipi solent, vt dicit Panor. in d. c. si verò.

¹⁷ **I**n simplici iuramento multæ intelliguntur conditiones, etiam si taceantur. Primò, si superiori placuerit. cap. i. venientes. de iureiur. quia, vt dicit ibi Panor. mit. iuramentum subditi non potest fieri in præiudicium superioris. Secundò, si res in eodem statu permanferit. cap. i. quem. admodum. eod. titul. vt si iurauit accipere sortem in famulum, & c. & infirmetur, non teneor. Tertio, si seruetur iuranti promissum. cap. i. peruenit. el. secundo. eo. vt si iurauit Petro non me sepatare ab eo, si noluerit, si non amplius vult, nõ teneor. Quarto, si res sit honesta, & possibilis. in dict. cap. i. quemadmodum. vel de nouo fiat impossibilis.

Quintò, si iuraueris reddere pecuniam, intelligitur, si tibi fuerit numerata. l. indubitati. c. de non num. pec. Sextò, si iuro tibi dare dotem, intelligitur, si nupseris, & secuta fuerint nuptiæ. ff. de iur. dot. l. stipulationem.

Septimò, si iurauit stare præceptis alicuius, intelligitur, si sunt moderata: quia si præciperet inmoderatum, vt expellere uxorem, & c. non teneor. cap. Quintauallis. de iur. iuran. quia iuramentum non extenditur aduersimiliter non cogitara. d. cap. quemadmodum.

Octauo, si facultas subit. cap. i. querelam. eod. Nonò, nisi præceptum superioris interueniat: vt si iurauit dare Titio decem, & interdicit à superiore, non teneor. argumen. de cen. cap. i. significauit. Decimò cum eadem qualitate. vt si iuro restituere granum, intelligitur eiusdem bonitatis. l. cū quid. ff. si ceterum peratur. Undecimò, cum bona fide: vt si iurauit negotia tua tractare, intelligitur, cum bona fide. c. ex literis. el. secundo. de spon.

Duodecimò, saluo iure, vt si promitto, quod non ero contrarius tibi, intelligitur, saluo iure meo, & c. cap. petitio. eo.

Tertodecimò, nisi fuerit absolutus ab eo, qui potest. in dict. cap. i. Quintauallis. Quartodecimò, nisi quid iur.

pe interuenerit, vel per alterum steterit. cap. de illis. de spon. vel nisi ex mutuo cõsensu absoluiamur. c. 2. de spon. Quintodecimò, te eodem modo manente: vt si iuro obedite Petro prælato cessante eius prælatura, non teneor, & e contra. l. 5. q. 6. c. alius. Sexto. decimò, nisi in melius commutetur. c. peruenit. el. 2. eod.

¹⁸ **S**PECIALES conditiones nõ intelliguntur in iuramento, nisi exprimanatur, quamuis mente concipiantur. c. fin. 32. qu. viii. nisi vbi lex exprimit, tacitum haberi pro expresso in aliquo contractu: in promissorijs iuramentis, cap. cum quid. dist. 50. Aliet autem est in assertorijs. argument. in d. c. fin.

¹⁹ **I**URAMENTVM, & votum secundum Canonistas curiunt de pari: vt dicit Panor. m. in c. si verò. eod. ubi dicit, quod ecclesia facit maiorem vim in iuramento, quam in voto: quia est magis periculum deierandi, cõ quod crebrius fiat iuramentum, quam votum. Thom. secunda secunda. supra, dicit votum magis esse obligatorium, quia obligatio voti est ex fidelitate, iuramenti verò ex reuerentia: ideo votum ex ratione sua magis est obligatorium.

²⁰ **I**n iuramento assertorio nunquã potest fieri dispensatio, vt quis in aliquo casu falsum iuret: quia talis dispensatio esset directe contra præceptum Dei: secundum Thom. secunda secunda. supra. in promissorio autem admittitur dispensatio: quia quod est vile, honestum, & bonum in communi, secundum particularem eventum, non erit vile, honestum, vel bonum, vel non ita bonum: ideo admittitur dispensatio: secundum Thom. supra. Unde iuramentum promissorium, quo promittitur aliquid, de quo est dubium, an sit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocuum, simpliciter, vel in aliquo casu potest Episcopus dispensare. Si verò manifeste sit licitum vel honestum, locum non habet dispensatio, nisi fortè occurrat aliquod melius ad communem vtilitatem faciendam.

dam, & hoc ad Papam videtur pertinere, qui curam totius ecclesie habet. Etiam vnusquisque potest irritare iuramenta suorum subditorum, in eius preiudicium facta, vt pater filij, & vir vxoris, &c. secund. Tho. vbi supra. Intellige de illis iuramentis, quæ non possunt seruari sine preiudicio superioris: secus in alijs, quæ non sunt in preiudicium superioris, quia non possunt sic irritari.

²¹ Q V A N D O iuramentum promissorium est factum alicui pertinens ad ipsius vtilitatem, potest ille, cui promittitur, absoluere a tali iuramento. Iam enim satisfecisse intelligitur, quando fecit secundum quod ille vult, secundum Tho. supra. Si verò quod est promissum alicui, concernit honorem Dei, vel aliorum vtilitatem, vt si iurauit tibi, quod intrabo religionem, vel ieiunabo tali die, vel dabo elemosynam, tunc ille, cui facta est promissio, non potest absoluere, quia principaliter facta est Deo: nisi promittens interposuisset aliquam conditionem: vt dicendo, si tibi videbitur, vel aliter: tunc enim possit ille, cui promissum, absoluere.

²² IURAMENTVM factum ad honorem Dei principaliter, sine causa rationabili, a nullo citra Deum potest dispensari, arg. quod not. Ioan. Andr. in cap. 2. de spon. quia Papa non potest sine causa remittere obligationem Deo factam. 1. q. 4. c. si manet. ex rationabili autem causa, vt ob scandalum vitandam, vel alia, tam Episcopus, quam Papa potest dispensare: vt not. Innocent. in cap. debitores. eod. & etiam interpretari. Anto. in c. quanto. eo. Si autem concernit tantum fauorem iuramentum, sic possunt inuicem remittere. secundum Ioann. Andr. in capit. 2. de hon.

²³ S I C R A T E s iurans soluere Titio decem aureos, quos debet ab eodem Soctte habere, non potest facere reparationem: secundum Panor. in c. a nostram. el. 1. de iur. iuran. quia iuramentum est obligatorium in forma specifica, nec sufficit illud adim-

plere in effectu, vt ibi per text. patet. Barco. autem in l. amplius. ff. rem. rat. hab. oppositum sentit, propter rationes valde efficaces, ob quod dicit Panorm. ibi supra, quod ante factum sequenda est prima opinio, quam sequitur Innocent. & Ioan. Andr. post factum autem secunda, vt scilicet talis non efficiatur peritius. Videtur enim impediri, quod non soluat, quia Titius sibi non soluit.

²⁴ Q V I iurauit non expellere locatorem, si non soluit pensionem, potest expellere, secundum Panorm. in c. tuanos. de iur. iuran. hoc enim intelligitur. Idem de patre, qui iurauit non exheredare filium, intelligitur, nisi peccatum ingratitudinis commiserit in eum. ff. de verb. sig. l. quidam cum filium. supra. §. 17.

²⁵ Q V I iurauit tenere aliquod secretum, debet intelligi de honesto, non alteri nociuo. secundum Pa. in c. ego. eod. de mente glos.

²⁶ A C T V s gestus contra iuramentum, si dependet ex mera voluntate iurantis, tenet: vt si iurauit non vendere liberum meum, si videro, tenet iste actus, secundum Innocent. in cap. dilectus. de prebend. licet vendendo sit peritius. Si verò actus iurantis non mere dependet a voluntate iurantis, sed a lege, interdicitur in fauorem ipsius iurantis, & non tenet, secundum glos. in c. licet. eodem titu. lib. 6. quia actus sine iuramento ipso iure erat nullus, obstante legis prohibitione. Idem quando actus prohibetur propter vtilitatem publicam. in cap. intellecto. de iur. iuran.

²⁷ Q V I iurauit dare alteri C. aureos quia promissit eidem dare tor sacco frumenti: si frangatur fides iuranti, non tenebitur ad hoc iuramentum, quia istæ obligationes se inuicem respiciunt, secundum Panormita. in cap. peruenit. el. 2. de iur. iur. & in hoc sensu intelligitur illud, frangenti fidem, fides frangatur eidem: ff. pro socio. l. si conuenerit. Si verò promissiones non respiciant se inuicem, sed simpliciter sint factæ, secus est: vt si iurasti

date Petro equum tuum simpliciter, & ille promisit tibi non propter hoc dare vnum bouem, si nō dat bouem, nihilominus teneris dare equū: quia istæ promissiones non sunt conditionales, neque se inuicem respiciūt, & sic intelligitur c. noli. 23. q. 1.

²⁸ S V C C E S S O R E S iurātis nō obligantur ex illo iuramento, etiam si iurasset pro se, & suis successoribus: quia licet quis possit corporaliter heredem obligare, non tamen spiritualiter, nec tenetur filius sequi voluntatem patris in spiritualibus: vt in capitu. 1. de despon. impube. ideo hēres ex iuramento defuncti nunquam fit periurus, in frā. §. 34.

²⁹ Q V I iurauit non contrahere venditioni alicui, & inuenit se deceptum ultra dimidium, potest petere ab solutionem a iuramento, & post agere contra emptorem, & sic poterit auctori: secundum Panormita. in ca. cum causa.

³⁰ I V R A M E N T V M factum contra aliud iuramentum, non obligat, in c. sicut ex literis. de spon. & Pa. ibi. Actus autem gestus tenet. eod. tit. quo dictū est supra. §. 26.

³¹ C L E R I C V S quidam iuit ad studium cum licentia sui episcopi, & pro studio contraxit debita, cum iuramento non recedendi, donec satisfecerit, hoc interim mandat Episcopus omnibus clericis, vt infra certam diem veniant ad eum sub pena excommunicationis late sententia. Non tenetur iste clericus redire ante solutionem: secundum Pan. in c. venientes de iur. iuran. quia ex quo cum Episcopi licentia fuit in studio, & pro necessitate studij contraxit debitum, videtur consequenter se obligasse cum licentia Episcopi: quia vno concesso, conceduntur omnia, sine quibus illud effectum habere non potest de offic. de lega. capitulo, praterea. secus autem si iuisset sine licentia, vel fecisset debita non pro causa studij, sed pro alia.

³² Q V A N D O quis dicit in veritate, vel per fidem meam, vel Deus scit si mentior, si non ad effectum iurandi,

non sunt hæc iuramenta: quia Deus non adducitur testis explicitē, vel implicitē. Si autem esset intentio iurandi, vel per veritatem intelligeret Deū, vel fidem, theologiam virtutem, esset iuramentum. Similiter dicendo per crucem, per Deum vel intendens iurare diceret in conscientia, vel tangeret pectus, vel scripturam, esset iuramentum, nec est necessarium exprimere verbum. Concord. Panormitan. in cap. & si Christus. eod. tit. & per omne scriptum intelligitur euangelium in iuramento, per communem consuetudinem. In iuramentis, quæ dantur secundum formam iuris, non sophisticē, iurandum est.

³³ I N D V C E N S aliquem ad iurandū, quem scit falsē iuraturum, vel probabiliter dubitat extra iudicium: secundum Thom. 3. sent. d. 19. arg. vlti. ql. 2. ad. 2. mortaliter agit: secus in iudicio: quia in iudicio iuramentū non tantum exigitur propter iudicem, sed & propter alios: nec potest iudex remittere iuramentum, quod secundum ordinem iuris est exhibendum. Concord. Panorm. in cap. clericus. de cohab. cle. Si tamen aliquis esset dispositus ad falsē iurandū, & ego exigere iuramentum ab eo ex causa rationali, non peccarem mortaliter, quia non induco ad falsē iurandum, sed ad iurandum. Et quia iste actus potest bene & male fieri, ideo si falsē iurat, filii imputetur, sicut accipiens ad vsuram ex rationabili causa, non prauē agit. Et hoc tenet Sil. ver. iuramentum. 1. §. nono. & Ang. ver. iuramentum. 3. §. 11. & licet Car. in cle. vnica. de iur. iuran. dicat, quod talis vincit homicidam, intelligitur tamen de inducente, vel disponente non paratum ad prauandū, non autem de eo, qui vitat eius iuramento in rationabili caut. Possumus enim vt ob necessitatem peccato altetius, nō autem ad hē inducere.

³⁴ Q V A N D O aliqua vnuerſis vel collegium iuramento se obligant illis mortuis, successores tale iuramentum non seruantes, non sunt errii, se.

ri, secundum Thom. secunda secunde. quæst. 98. quia obligatio iuramenti est personalis: ideo ex parte iurantis non transgreditur personam: secus ex parte illius, qui iuratur: quia si iurasti obedientiam prelati, etiam iurasti successoribus in eodem officio. Quod tamen fallit in libertis, ut in capit. longinquitate. 12. quæstio. 2. qui nouo patrono infra annum tenetur professionem facere, supra. §. 28.

35 Si multitudo iurauit absolute, & in omnem euentum facere aliquid, ut seruare festum S. Bernardi, omnes tenentur de illa multitudine. Si verè non absolute, sed sub aliqua conditione, non tenetur quis, nisi extante conditione, argu. de condino. appell. c. verum. Vnde si alij, vel maior pars non seruat, alij dicuntur absoluti. Quando verò pauci seruant, recurrendum est ad intentionem iurantium. Quod si de intentione eorum nesciri potest, tutius est non contravenire. Si verò non est clarum, quod sit iuramentum absolutum, vel conditionatum, tunc vel iuramentum spectat ad commodum tantum iurantium, & sic non seruante maiori vel media parte, alij non tenentur seruare, iuxta benignam interpretationem, si hoc vergit in damnum seruantium, & in lucrum non seruantium. Cum verò seruantes nullum damnum incurrunt, non est tutum contravenire. Quando verò aliorum concernit commodum, sibi iniuicè remittere non possunt, nec alij non seruantibus non seruare sine licentia, si simpliciter iurant: & si hoc sit dubium, dimittant incertum, & seruando certum teneant, secundum Verue. & Archi. flor. Et si iusta non obseruatio aliorum, talem reddit casum, quod si a principio adiuisset, non iurassent, non tenentur seruare: & hoc sit pro regula communi, secundum multos doctores, quia iuramentum interpretandum est secundum mentem iurantis, non enim ad plus obligat, quam iurans intellexit.

36 SOCRATES, qui iurauit seruare statuta Plaentina, his sublati per eò

munitatem, non tenetur amplius illa seruare, secundum Ioannem Andr. in capit. 1. de his quæ fiunt à ma. par. ca. Si verò iurauit seruare ea, quæ continentur in statutis, nulla facta mentione de ipsis statutis, secus est, quia etiam remoto statuto tenetur, secundum Panormita. in capitul. dilecto. de præbend. Si autem sic iurauit dicendo, iuro seruare hoc, & hoc prout continetur in statutis, tunc sublati statutis, tollitur iuramentum, quod fuit accessorium ad statuta. idem sentit Cardina. in clem. 1. de regulis iuris. Quia materia hæc difficilis est, ut Panormita testatur, ideo vide Tabu. verb. iurare. §. 35.

37 Qui iurauit simpliciter seruare statuta suæ ciuitatis, & non cogitauit de edendis, tenetur tantum secundum Panor. de editis, propter periculum periurij: tamen potest dici, quod (si intendebat etiam de edendis) tenetur: si verò non intendebat, secus est. Si verò est dubius, videtur non teneri: quia hoc est stricti iuris, secundum Panor. tutius tamen est, quod seruet etiam de nouo edita, vel superiorem adeat.

38 Si quis iurauit simpliciter seruare statuta, & in illis sunt aliqua illicita, non tenetur illa seruare: quia iuramentum de re turpi non obligat, ut supra diximus. Male tamen fecit iurando simpliciter. Multi casus particulares possent adduci, sed ex regulis, & dictis generaliter, multa possunt solui occurrentia. De hac materia, vide etiam infra, Periurium, in multis. §. & præcipue. §. 4. & 5.

IVS.

1 QUAE contra ius fiunt, non valent, per regulam, de reg. iur. libr. 6. nisi addatur aliquid legi, ut valere possit. Quomodo tripliciter possit addi. Tab. ibi. §. 6.

2 IURE suo quis potest uti, etiam cum damno alterius, dum tamen non habeat animum nocendi: ut in gloss. in c. cum ecclesia Vulterana. de elect. & c. nisi specialis de autho. & v. pal. Secus autem cum malo animo utitur, vel sine utilitate sua, aut suorum, sed tan-